

1994

A

7387

3: 2x 16



Q. D. B. V.  
COLLEGII PUBLICI  
DISPUTATIO XV.

De

ACTIONIBUS,

Ad

*Tit. VI. Lib. IV. Inst.*

Quam

IN ALMA FRIDERICIANA,

SUB PRÆSIDIO

DN. JOAN. SAMUELIS STRYKII,

J. U. Licentiati & Prof. Publ. Extraord.

*In Auditorio Majori*


*die XXII. Julii A. R. S. MDCXCIII.*

publicæ ventilationi

submittet

JOAN. CHRISTOPH. Herold/

Hall, Saxo.



HALÆ,

TYPIS CHRISTOPHORI SALFELDII, REGIMINIS ELECT. BRAND.


TYPOGR.





L. N. 7.

Th. I.



**A**ctiones, quæ formam & perfectionem suam à Jure Gentium acceperunt, & nihil amplius, quam solam approbationem à jure civili habent, qualis est actio mutui, commodati, depositi &c. Juri Gentium adscribimus. Juri vero Civili eas, quæ à Jure Gentium vel inchoatæ quidem sunt, sed non impletæ; Vel planè ignotæ, perfectionem formæ à Jure Civili acceperunt, cujusmodi est actio, quæ datur ex Testamento, literarum obligatione, & quæ à Prætoribus vel lege specialiter introducta est.

Th. II.

Actio, sive jus persequendi in judicio quod sibi debetur, est vel *realis*, quæ rem nostram vel ejus libertatem ab alio possessam petimus; vel *personalis*, quæ cum eo agimus, qui nobis obligatus est ex contractu, vel quasi, vel ex maleficio. Utraque iterum aut Civilis est, aut Prætoria. *Civili reali*, sive *rei vindicatione* in specie sic dicta, petimus rem nostram corporalem ab ejus possessore. §. 1. d. act. quæ requirit probationem à parte Actoris *dominii. d. §. 1. l. 23. d. R. V.* & à parte Rei conventi possessionem sive nudam detentionem. *L. 9. l. 21. C. Eod.*

Th. III.

Actio *Confessoria* directa intendit fundi & servitutis *realis* Dominus *L. 2. §. 2. l. 6. §. 3. si serv. vindic.* utili vero etiam usufructuarius, arg. *l. 1. si ususfr. pet. l. 2. d. N. O. N.* servitutem sibi deberi. §. 2. 7. d. Act. Jure actionis *l. 4. §. si quis ff. si serv. vind. l. 2. §. usq. ff. commod. l. 1. §. quæ & §. si cista ff. depos. Harpr. ad §. 2. h. t. n. 8.*

A 2

Th. IV.

Th. IV.

*Negatoria*, non à verborum conceptione affirmativa vel negativa, sed à proprietatibus & causa finali, utrum actor rei suae libertatem, vel ex re aliena servitutem intendat, sic dicta, vid. Dn. Parens. *Consil. decisiv.* 34. n. 30. 31. 32. *ibid.* cit. negat actor rem suam adversario servitutem debere §. 2. *b. t.* & in effectum libertatem prædii sui vindicat. B. Brunnem, *ad l. pen. si ususfr. vind. n. 13. 14.* quæ, cum sit juris naturæ, adeoque præsumatur, *l. 8. 9. C. d. servit.* actorem ab onere probandi libertatem liberat, & onus probandi servitutem in asserentem rejicit *l. 23. C. d. prob.* etiamsi in ejus quasi possessione reperiatur, utpote quæ incorporalibus non relevat ab onere probandi titulum, cui juris aliqua resistit par vel major præsumtio, Mascard. *d. prob. c. 1194. n. 51. 71. & 1224.* prout Dn. Jct. Jen. in Jun. 1677. responderunt: h. v. Ob wohl! sonst den jeden Kl. der Beweis obliegt / und ein Besizer damit nicht zu beschweren / so hat es doch mit denen Servituten eine andere Beschaffenheit zc. qualitatem vero facti in quâ se actor fundat, probare tenetur. *d. l. 23. C. d. prob.* Carpz. *T. 13. Process. A. 1. n. 29.* Dn. Parens. *observ. 18. n. 8.* ut & si se in extinctione servitutis, vel exemptione juris universalis fundat, Dn. Parens *Consil. Decis. 12.* prout in Regim. Saxo Leucop. Ao 1666. contra Nob. à Klipping judicatum refert.

Th. V.

Prætoriarum in rem actiones sunt *Publiciana*, quâ rem ex justâ causâ, bona fide, à non Domino acceptam, nec dum usucaptam ab ejus possessore petimus. §. 4. *b. t. l. 1. d. public.* & eicontraria, *quasi publiciana*, quæ rescisâ jam ante usucapione inter absentes, ex justa causa datur pristino rei Domino ad rem recuperandam. §. 2. *b. t.* quæ ab actione rescindente, quæ usucapio prius rescinditur, & res postmodum hæc quasi publiciana vindicatur. §. 5. *b. t.* differt; ut & *Pauliana*, quâ ea, quæ in fraudem Creditorum, bonis jam possessis, fuerunt per debitores alienata, intra annum utilem revocantur. §. 6. *b. t. tot. Tit. ff. quæ in fraud. credit.* quæ actio rerum possessores nullo jure obligatos perpetuo sequitur, *L. 1. §. si heres ad Scit. Trebell.* pertinet verò hæc actio tantum ad

ad diminuentes patrimonium suum, non ad eos, qui id agunt, ne locupletentur *l. 6. qvæ in fraud. cred. Harpr. ad d. §. 6. n. 5. 6. & quemadmodum fraus debitoris alienantis semper; ita & fraus, ex causa lucrativa, non onerosa accipientis in hac actione requiritur. Harpr. d. l. n. 8. Porro Serviana quæ pro rebus Coloni, vel inquilini, fundi domino, pignoris jure mercedis nomine expressè obligatis, competit. §. 7. b. t. l. 4. in quibus caus. pign. l. 5. C. eod. & quasi serviana quæ ad vindicandum res inquilini tacitè, vel alterius debitoris quocunque modo oppignoratas datur, & pro rebus per inquilinum inquilini in vectis & in ductis, Domino, qui prius locavit prædium, accommodatur *l. 11. §. solutam d. pign. act. l. 5. pr. in quibus caus.* Diversum vero obtinet in rebus per Colonom coloni illatis, pro quibus Domino, qui prius locavit, actio serviana non datur. *l. 24. §. 1. locat. Harpr. d. l. n. 12. 13.**

#### Th. VI.

Ad publicianam actionem omnia requiruntur, quæ ad usucapionem necessaria sunt, solo temporis lapsu excepto, Bona fides vero sufficit si ab initio adfuerit, superveniens enim mala fides non nocet *L. 7. §. 12. L. 48. ff. d. A. R. D.* An vero de Jure Canonico mala fides superveniens noceat, gravissima controversia est, propter *C. fin. X. d. Prescript.* Nos tamen non differre hoc casu Jus Canonicum à Jure Civili existimamus *arg. c. 3. d. Sent. & Re Jud. in 6to & c. IX. d. Nov. oper. nunciat. vid. Dn. Præses in Disp. d. Bona fide ad Prescript. act. necess. th. 21.*

#### Th. VII.

Reales quoque actiones sunt, Actio civilis *de Statu libertatis*, qua de Jure Romano vel Dominus experitur adversus servum, qui se liberum esse contendit, vel ex diverso, quæ utitur servus qui libertatem sibi asseruit, contra eum, qui dominum se esse dicit. *§. 13. b. t.* Cujus usus, sublata servitute personali, hodiè ferè nullus est, nisi quod utiliter in locum directæ detur Dominis prædiorum, adversus homines proprios, juxta diversam Germaniæ

nix consuetudinem Harpr. ad. d. l. 13. n. 5. Ut & actiones Prætorix de Jure Patronatus quâ libertus de Jure Romano adversus Patronum se ingenuum, & non ejus libertum dicit, & contra Patronus adversus libertum, cum manumissum esse, sibiq; operas & obsequia debere contendit, t. t. si libert. ingen. esse dic. ibiq; B. Brunnem. quæ hodie utiliter datur dominis, qui rusticos manumiserunt, sive liberam facultatam à prædiis, quo velint, migrandi illis concesserunt; Et de partu agnoscendo, quâ filiatio & paternitas inter parentes & liberos vindicatur & abnegatur. l. 1. 2. d. R. V. tot. tit. d. agnosc. & alend. liber.

### Th. VIII.

Actiones in personam, quibus cum eo agimus, qui nobis vel ex contractu aut maleficio obligatus est, sunt quoque vel Civiles, à Jure Gentium inventæ, à civili vero Jure conformatæ & approbatæ, partim ex contractibus realibus mutui, de remutuo data recuperanda. Commodati directæ, ad rei commodatæ restitutionem competens; contraria commodatario de eo, quod factò commodantis abest, præstando competens, depositi directæ, de re non litigiosa deposita restituenda competens; contraria depositario, de eo, quod ipsi ex causa depositi abest præstando contra deponentem competens. Sequestraria, de re litigiosa deposita restituenda debitori competens. Pignoratitia Directa de re pignori data restituenda, debitori competens; Contraria, creditori de eo, quod ipsi, ex causa pignoris abest, præstando, contra debitorem competens. Stipulationis, ex verborum obligatione competens; Fidejussoria ex fidejussoria intercessione; confidejussoria contra confidejussorem pro eo, quod ultra ratam solutum repetendo. Chirographaria ex literarum obligatione, ad consequendum chirographo promissum, tendens. Emti, ad rei emtæ traditionem, Venditi, ad pretii præstationem. Rescissoria, ad rescissionem emtionis; redhibitoria, ad rem emtam vitio latenti affectam restituto pretio recipiendam. Æstimatoria seu quanti Minoris; de parte pretii, quod ob vitium rei emtæ æstimationem excedit, consequenda; Rescissoria, ad emtionis contractæ resolutionem, ex ad-

dictio-



dictione in diem. *Ex L. Commissoria ad rei venditæ restitutionem.* *Ex pacto retrovenditionis retractu conventionali, ex L. 2. C. de rescind. venditione.* *Locati ad impletionem contractus.* *Conducti, ad ejus, quod ex conductione debetur, præstationem.* *Emphyteuticaria, ad contractus feudalis impletionem; pro socio ad societatis impletionem.* *Mandati directæ, ad Mandati consummationem, contraria ad debiti ex mandato præstationem.* *Negotiorum Gestorum directæ & contraria ad debiti præstationem; Funeraria, ex funebrium expensarum erogatione; Tutela directæ ut Tutor administrationis rationes reddat & reliqua solvat.* *Subsidiaria contra Magistratum tutorem dantem, contraria ad debiti ex gesta Tutela præstationem; Testamentaria, de re ultima voluntate relicta consequenda; vel de relegata competens; & quæ ex quasi contractu ortæ sunt.* *Mixtæ dicuntur: Familie Eriscunde, ad legitimam divisionem hereditatis; Communi dividundo, de re ex titulo singulari communi dividenda; Finium regundorum de confinis prædiis confusis discernendis;*

#### Th. IX.

Prætoriarum in personam actiones, quæ nascuntur ex nostro contractu, sunt actio *de constituta pecunia*, quæ cum omnibus agitur, qui vel pro se, vel pro alio obligato soluturos se, nulla stipulatione interposita, constituerunt, §. 9. *b. t. & d. const. pec. item de peculio*, quæ ex contractu eorum, qui alieno juri subjecti sunt, provenit, peculiotenus competens, ratione administrationis peculiaris, à patre vel domino concessæ, aut saltem non ademptæ. §. 10. *b. t. in factum ex jurejurando*, quæ quis ex jurejurando legitime præstito, id quod sibi debetur, adjudicari petit, in quæ tantum quaritur, an juratum sit. §. 11. *b. t. l. 5. d. Jurej.*

#### Th. X.

Ex aliorum, puta servorum & filiorum familias contractu, personalis competit actio *quod jussu*, quæ datur ei, qui cum filiosam, vel Servo contraxit, contra patrem vel dominum, jussu

jussu contractum est, in solidum. *Exercitoria*, quæ ex contractu Magistri, vel Prae-Magistri nobiscum habito, cum exercitore experimur, ad id consequendum ab eo, quod nobis ex contractu Magistri debetur. *Institoria*, quæ datur ei, qui cum institute, rebus ad ipsius negotiationem pertinentibus, contraxit, adversus eum, qui institute vel factorem proposuit. Institute vero nisi suo se obligarunt nomine, post finitum officium ex contractu, tempore propositionis celebrato, conveniri nequeunt. *Tributoria*, quæ creditoribus servi in merce peculiari sciente Domino negotiantis, conceditur, adversus ipsius Dominum, qui in illius merce, pro ratâ cujusque debiti distribuendâ, dolo malo versatus est, ut quanto minus tributum sit, quam debuerit, præstet. Treutl. 1. Disp. 24. th. 8, & de in rem verso, quæ ei datur, qui cum filio vel servo contraxit, contra patrem, dominumve, cujus negotium, filius vel Servus, non tamen ejus voluntate, gessit, ut quod in rem ipsius versum esse apparebit, præstare cogatur.

#### Th. XI.

Actio personalis ex nostro maleficio nascitur, *Furti*, ad consecutionem pœnæ, *vi bonorum raptorum*, ad quadrupli consecutionem, *injuriarum*, ad injuriæ illatæ vindicationem. *L. Aquilia* ad resarciendum damnum à damnificante illatum. *De Albo corrupto* quæ competit adversus eum, qui aliquid ex albo Prætoris dolo malo corrupit; *De in jus vocando* parentem vel Patronum sine Prætoris permisso. *De in jus vocato vi exempto*, quæ datur contra eum, qui aliquem legitimè in jus vocatum vi exempt, vel detinuit, vel dolo malo fecit, ut vi eximeretur, & id genus aliæ. *De Pauperie* five *quadrupedaria*, de damno ab animali facto resarciendo competens. *De Pastu*, ad consecutionem æstimationis damni per depastionem fructuum naturalium dati, ex pollicitatione ad consecutionem debiti ex pollicitatione; *Æstimatoria Directa* ad præstationem debiti ex æstimatione rei vendendæ traditæ, & *Contraria* ad consecutionem debiti contra æstimatorem competens ei, qui rem æstimatam vendendam suscepit. *Permutatoria non rescissoria*, quæ de

de rei permutatæ datione competit. *Æstimatoria*, ob vitium rei ad permutationis contractæ dissolutionem competens. *Cambii* de pecunia soluta alio loco consequenda competens. *Assecurationis* de re ex asssecuratione præstanda competens. *Suffragii* de re ex suffragio præstando competens. *Socidæ*, de debito ex tali contractu domino, qui pecora partiaria pascenda Pastori tradit, contra eum, ad debiti consecutionem competens. De *Recepto*, nautis, cauponibus, & Stabulariis ad rei illatæ recuperationem viatori competens.

### Th. XII.

*Actiones bonæ fidei*, quæ in §. 28. d. act. enumerantur, sunt quibus præter conventionis legem essentialiter & suapte naturâ bona fides inest, ut ejus gratiâ quid ex bono & æquo præstetur. *Stricti e contra juris* sunt, reliqua, quæ propter negotii contracti factive legem, aliam fidem essentialiter inhærentem non habent, quales etiam sunt, quæ ex accidenti aliqua causa, nimirum contumacia vel conventionis lege *arbitraria* fiunt, arg. §. 28. h.t.

### Th. XIII.

Actionem ex stipulatu certo casu etiam bonæ fidei esse, constat ex §. 29. *Inst. h.t.* ubi illud simul singulare est, dari in isto §. casum, quod mutus etiam ex stipulatu agere possit, fingit enim Jus in Rei uxoriæ actione stipulationem intervenisse, quæ tamen revera non intervenit, vid. *Zæf. ad tit. ff. sol. matr. n. 4.*

### Th. XIV.

Constat ex illo ipso §. uxoris id concessum esse privilegium, ut omnibus Mariti Creditoribus, etiamsi expressam anteriorem hypothecam habeant, præferantur, ob generalem textum in *L. Assiduis 12. C. qui pot. in pign.* id quod propter obsequia quæ maritis præstant, introductum dicitur, *d. L. Imperiosa* ergo uxor vix hoc gaudebit beneficio. *Ista tamen d. Legis ratio lepida est,*

B

quæ

quæ habetur in *Nov. 97. c. 3.* quod sc. cum fornicantibus mulieribus obveniat quæstus & vivant exinde, absurdum sit, caste viventibus è matrimonio detrimentum inferri.

### Th. XV.

Condictio ex Rubrica *de pollicitationibus* Universitati ob certam pollicitationem vel promissionem publicam competens, ad exsolvendam quantitatem pecuniæ Reipublicæ e. gr. ad stipendia studiorum, adeoque boni publici causa, ex amore erga patriam ob honorem pollicenti post mortem decernendum, deliberato animo, *l. 1. §. 1. d. pollicit.* ibique Wesenb. ab absente promissore per Epistolam, Schacher. *Diss. de pollicitat. §. 54. Diss. Mej. C. A. b. t. thes. 2.* ex spontaneo motu absque interrogatione facta, & in pollicentis judiciali Testamento solenniter confirmata, est actio Civilis, non prætoriana. *l. 1. §. 1. ibi: Et est constitutum ff. de pollicitationibus bonæ fidei, non stricti Juris, Eckolt. b. t. §. f. rei persecutoria, non arbitraria; innominata quidem, sed jure singulari pœnitentiam & revocationem non admittens. Molin. Disp. 263. n. 8. Grot. d. 7. B. P. 2. c. 11. §. 14.* ibique B. Ziegler. *Mantic. 1. convent. 1. n. 4.* æquissimum enim est, hujusmodi Voluntates in Civitates collatas, pœnitentia non revocari. *l. 3. §. 1. d. tit. adeoq; aris alieni loco habetur. l. 6. eod. & quasi debitum hereditarium, dict. l. 3. pr. ab heredibus pollicentis etiam Testamentariis d. l. 6. l. 14. pr. d. t. revocatione pollicentis coram Notario & quinque Testibus non obstante d. l. 3. §. 1. Mejer C. A. d. Tit. th. 5. in solidum l. 9. eod. ibique B. Dn. Brunnemann. exigi potest Gratian. c. 703. form. n. 1. 2. 3. dummodo Res publica ea, ad quæ ipsam promissor in pollicitationis forma obstrinxit, ad implere vult. Mejer. d. l. th. 8. n. 1. Grat. d. l. n. 9. quod ex pollicitationis acceptatione agnatum videtur. l. 70. §. 1. d. Leg. 2. ibique Brunnemann. n. 2. Donell. 8. c. 7. Pudor enim quemlibet ad observantiam promissorum etiam in conscientia monet & stringit. Gomez. *Var. resolut. cap. 9. lit. d. n. 2. fol. 289.* ita Dn. Scab. Lips. M. Nov. 1689. *Sn. D. A. O. de jure responderunt his verb. Da es nun gleich in termini.**

minis promissionis geblieben/ müsse es doch als eine pollicitatio ad pias causas passiren. Daher auch ex nuda pollicitatione eine kräftige Action wider die Erben erwachsen.

Th. XVI.

Emens hereditatem ea lege, ut creditoribus hereditariis satisfaciat, à creditoribus hereditariis non potest cogi, ut invitus hereditarias excipiat actiones. *l. ratio. 2. C. d. hered. vend. nisi spontè eas suscipere velit. l. post 2. C. d. pact. ibi: spontanea voluntate. vel nisi convenerit, ut non tantum satisfaciat, sed etiam ut creditoribus respondeat. gl. ad d. l. 2. Gvid. Papa decis. 460. Et ita judicasse Facult. Jur. Lips. Ao. 1663. Mens. Jun. in causa Ußeburgs contra Ditzthumen/ testatur Dn. Parens, Tract. d. Jure repres. cap. 6. §. 8.*

Th. XVII.

Actio ex L. Hac Edictali 6, C. de secund. nupt. privignis primæ vel secundi matrimonii, legitimam paternam integram habentibus, contra novercam hodie cessante odio secundarum nuptiarum regulariter non competit, prout testantur de Jure March. Distelm. & Schepliz. p. 3. T. 2. §. 19. n. 2. 3. 5. 6. 7. 8. de Jure Sax. Gæd. c. 70. n. 11. f. S. Pist. c. 6. n. 14. 15. 16. Col. dec. 40. §. 192. Pingiz. q. 46. n. 1. 19. 27. B. Berlich. d. 7. Noverc. 2. A. 2. f. 8. n. 756. & de Ducatu Magdeburg. it. Misnia & Thuringia. Altorff. Cons. 24. nisi ejus dispositionis statutaria receptio specialis quæ non præsumitur id Illustr. Dn. Stryk. d. Usu 7. Rom. in foris Germ. §. 16. §. 19. 29. 31. legitime probetur, prout de Reformat. Noric. testatur Rittersh. d. Nov. l. 4. c. 51. 16.

Th. XIX.

Actio Judicati incertæ quantitatis non operatur executionem antequam dubia quantitas ex actis non assertoriis & enunciativis, e. gr. libello & articulis &c. sed probatoriis Vant. d.

*nullitate sentent. & defect. process. n. 105. sufficienter demonstratur;*  
Exceptio enim incertæ condemnationis non impugnat jus a-  
gentis, nec rem judicatam, sed tantum declarat condemnatio-  
nem, adeoque etiam rejectis omnibus exceptionibus per statu-  
tum vel sententiam executioni opponi potest, *L. Neseinius 41. §.*  
*f. ibiq; Brunnemann. n. 5. 6. 7. de re jud. Zanger. ad c. de cætero 5. X. d.*  
*sent. & re jud. n. 60. & d. Except. 3. c. 26. n. 118. Mejer. C. A. de re jud.*  
*th. 88. n. 10. in fin.* Et ita de jure respondit Illustris Facult. Jurid.  
Elect. Hall. m. Maji 1693. verb. Daß die ergangenen Judicata  
nicht zureichend / das so fort die Execution vollzogen werden köns-  
ne / sondern es ist zupörderst super liquido zuverfahren / und wann auch  
darüber in specie rechts kräftig erkandt / alsdann erstl. die Execu-  
tion zu vollstrecken / von N. W.

### Th. XIX.

In solo deposito compensationi locum non esse ex §. 30.  
*b. t. & L. fin. C. depos.* colligunt Dd. Alii actionem spoli pariter  
excipiunt, cum iniquum sit, spoliatori beneficium indulgere.  
Sed quid de commodato dicendum, ubi eadem prohibitio adest,  
*L. ult. C. commod.* commo de ita respondendum censeo: in depo-  
sito obstat compensationibus qualitas contractus; in commo-  
dato resistit qualitas objecti. Species enim commodato datur,  
quæ sui natura ad compensandum inhabilis est; Ast in deposito  
etiamsi quantitatem pro objecto habeat, compensatio cessat.  
*Conf. Hillig, in Donell. Lib. 16. cap. 15. lit. X.*

### Th. XX.

Libellum etiam post litem contestatam, tam mutari, quam  
emendari posse ex §. 34. & 35. *hujus Tit.* abunde apparet, Bachov.  
*Tr. de Action. Disp. I. th. 44.* Praxis vero post litem contestatam  
hoc non admittit. Interim & in Praxi actionem quocunque  
tempore deferere, restitutis expensis, permissum est, cur ergo & li-  
bellum non mutare liceret? Resp. nova actio facilius permit-  
titur,

titur, quam libelli mutatio: Ibi enim omnia ex integro agenda,  
vid. Dn. Stryk. *in Usu Mod. Digest. Tit. de edend. S. 11.*

Th. XXI.

Beneficium competentiae marito, ad dotis restitutionem  
convento, competere, constat ex *L. 20. ff. de re jud.* Cessare vero  
hoc beneficium volunt, si uxor actione reales illatas repetat,  
cum Jura de casu, si actione personali ex stipulatu maritus con-  
veniatur, tantum loquantur. Sed æquior sententia est, gene-  
ratim si de dote restituenda conveniatur maritus, beneficium  
ipsi indulgendum esse. Quod enim favore matrimonii concef-  
sum conjugibus, ob aliam actionis qualitatem non censetur  
ademptum, Zanger. *de Except. P. 2. cap. 15. n. 23.*

Th. XXII.

Nobilibus, si milites non sint, beneficium competentiae  
non competere, plerique Dd. asserunt. Interim Doctoribus  
idem jus concedendum esse, unanimiter contendunt. Vid.  
Bachov. *ad Treutl. Vol. 2. Disp. 24. th. 4. lit. H.* E contrario Nobili-  
bus idem competere, Doctoribus autem non competere, prolixè  
defendit Dn. ab Enenkel *de Priv. Milit. l. 1. c. 6. n. 12. sqq.* qui forte  
communiores sententiam pro se obtineret, si plures ex Nobili-  
bus de hac materia scriberent: Adeo solent scribentes & di-  
gnitati suæ & conditioni favere, unde & nobilitatem Doctori-  
bus Juris detrahit Dn. ab Einsiedel *Tract. de Regal. l. 2. n. 140.* E con-  
trario mirum non est, multa Doctoribus privilegia esse tributa,  
certo Jure non fundata, quia vix alii, quam Doctores Libros e-  
dunt. Nos in puncto Juris, nec Nobilibus, nec Doctoribus be-  
neficium competentiae tribuendum existimamus: Aut si tribu-  
endum, solis Doctoribus Juris hoc non sine ratione vindicasse  
videtur Berlich. *P. 1. Concl. 80. n. 52.*

Th. XXIII.

Beneficium cessionis bonorum *L. Julia* introductum, ut a

B 3

car-

carcere liberetur debitor *L. 1. C. qui bon. ced. poss.* Quod, utut flebile  
 satis sit ac miserabile, uti Justinianus hoc appellat in *L. pen. § ult.*  
*C. d. t.* adeo enim omnibus bonis privat debitorem, ut vix inte-  
 rula & quotidiana vestis relinquatur, Brunus de *Cess. bon. qv. 1. pr. n. 1.*  
 non tamen injuriam infert cedenti, cum beneficia Juris infamiam  
 non contineant *L. Debitorum 11. C. ex quib. caus. infam.* Excludimus  
 vero dolosos decoctores & fallitos, qui non commiseratione sed  
 animadversione digni: vid. *Reform. Polit. de Ao. 1577. tit. 23. vom*  
*verdorbenen Kauffleuten.* Et his infames cessionis bonorum  
 ritus, quos recenset Petr. Gregor. Tholosan. *Syntagm. c. 11. l. 22. n.*  
*12. & Manz. Patrocinio debitorum Decad. 2. qv. 6. n. 15.* applicandi,  
 non vero illis, qui fortunam novercantem citra culpam ex-  
 perti.

#### Th. XXIV.

Beneficium dationis in solutum a Justiniano introductum,  
*Nov. 4. c. 3.* cum cessione bonorum non confundendum. Illic  
 debitor se solvendo quidem, sed parata pecunia destitutum  
 esse, profitetur, & hinc alia bona creditoribus pro debito pecu-  
 niario obtrudere cupit, quo casu tamen creditori electio relin-  
 quenda Carpz. *P. I. c. 32. d. 33.* modo ita eligat, ne illa, quæ debi-  
 tori ad vitam sustentandam quam maxime necessaria, auferat.  
*Mev. P. IV. Dec. 232.* Et hoc remedium dationis in solutum de-  
 bitoribus injuria bellorum depauperatis quam maxime com-  
 mendatum in *Rec. Imp. de Ao. 1654. §. So viel nun die Capitalia.*

#### Th. XXV.

Gravis controversia est, an beneficium cessionis bonorum  
 sit renunciabile? Varie dissentiunt Dd. Nos breviter dicimus:  
 quia beneficium cessionis in solum debitoris favorem tantum  
 introductum, ne ob æs alienum in carcerem detrudatur, nil ob-  
 stat, quo minus huic beneficio renunciare valeat: Nec moribus  
 nostris obligatio ad carcerem improbata, sed recepta potius,  
 non quidem ut a privato, sed a Judice incarceretur. Carpzov. *P. 2.*  
*c. 21. d. 1. n. 5. Mev. ad Jus Lubec. l. 1. tit. 3. art. 1. n. 89. seqq.* Contra-  
 riam tamen sententiam fovet Bachov. *ad Treutl. V. 2.*

*D. 24. th. 4. lit. E.*



94 A 7387

ULB Halle  
006 301 592


3



V. 17







15

XV

D. B. V.  
I PUBLICI  
ATIO XV.

De  
**NIBUS,**

Ad  
*ib. IV. Inst.*

vam  
RIDERICIANA,  
RÆSIDIO

**MUELIS STRYKII,**  
Prof. Publ. Extraord.

*orio Majori*  
R. S. MDCXCIII,

ventilationi  
mittet  
**STOPH. Herold/**  
Saxo.

ALÆ,  
DII, REGIMINIS ELECT, BRAND.  
OGR.